UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica Recapitvlatio

Molanus, Johannes

Dvaci, 1616

Die secunda Februarij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9477

Visual Library

Die ſecunda Februarij.

1°. De beato Adalbaldo Duce Duacenſi.

Ex Hucbaldo, & catalogo ſanctorum Hannoniæ.

IN territorio Petragorico, paſſio ſancti ADALBALDI, ducis Duacenſis, qui coniugem habuit ſanctam Rictrudem. Hic cùm ex pago Auſtrebatenſi, vbi multis locupletabatur diuitijs, in Guaſconiam iter arriperet, à malignis hominibus, &, vt fertur, ab ijs quibus ſanctum diſplicuerat matrimonium, eſt interemtus: ſed felicem eius animam viuere teſtantur, inquit Hucbaldus, ſigna, quæ ob ipſius declaranda merita ad eius mortua frequenter oſtenduntur oſſa. Additur in catalogo ſanctorum Hannoniæ, apud Petragoricum caput haberi, licet corpus ad ſanctum Amandum in terra ſit: feſtumque eius ſolenniter in Aquitania fieri. Quod inde certius cognoſci velim. Recentiores paſſim notant quarto Nonas Februarij: è quibus obitum eius notaui ad hunc diem. *Hucbaldus c. 8. vitæ Rictrudis.*

Frater eius fuit Arkenbaldus, Tertius frater Sigifridus nominatur 4. Iulij. *Addit.*

2.° Reclusio Columbani, Hiberni abbatis.

Ex Chronico Gandenſis monaſterij.

QVarto Nonas Februarij, anno nongenteſimo quinquageſimo ſeptimo, recluſio Columbani, abbatis Hibernienſis, viri ſanctiſſimi, in cœmeterio Gandenſis cœnobij: vbi poſt biennium obijt, & in crypta B. Mariæ ante altare beati Andreæ ſub arcu lapideo requieſcit. Obitus in libris Rubeæ vallis notatur decimo quinto Calẽdas Martij.

Tertia die Februarij.

1°. De S. Hadelino confeſ. Viſetũ trãſlato.

Ex hiſtoria manuſcripta in Ordinario Leodienſi, Chronico Leodienſium, & literis D. Ioannis Gerardini, Canonici Viſetenſis.

Cellæ,